

Presentación del Cardenal Pericle Felici*

Sancte Pater, coram Te perlaeti adsumus omnes
qui nuper festum magnum celebravimus una
sermonemque Latinum dignum laude perenni.
Astant nobiscum quotquot certamine victo
lauri a Te meriti cingentur rite corona.
Omnes percipiunt grati Tibi promere vota,
unanimi cuncti venerantes pandere amorem.
Vive diu, insidiis procul, o mitissime Rector,
sustineat Christus Te, Mater sospitet alma
ad portum ut nosmet deducas sospite cursu
quos fideique speique et amoris vincula stringunt.
Nuntia Vergili hoc quoque nostro tempore viva
a Te, Sancte Pater, nobis audire licebit.
Ille quidem veluti Christi praenuntius almus:
«nunc nova progenies caelo demittitur alto»¹
Clamans, iustitiae praevidit regna futura:
«iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna»².
Unde Patres nostri Christi fere nomine dignum
censentes laudant illius dicta frequenter,
in coetu ut docuit solers praeceptor aperte.
Ex Italis autem celebrer summusque Poeta
Vergilium assumit comitem simul atque Magistrum
humani ingenii splendenti luce nitentem
infernus peragrans regiones atque piandi,
caelisquam sedes demonstret ante Beatrix.
Ut finem faciam permittas, Maxime Pastor,

* Por sus ecos virgílicos y por formar parte de la audiencia papal del 30 de noviembre de 1981, recogemos aquí los hexámetros del Cardenal Felici con que saludó al Papa Juan Pablo II, al comienzo de la sesión.

1 *Buc.* 4, 7.

2 *Buc.* 4, 6.

Vergilii e versu, ut quidam³, precer Immaculatam:
«O felix una ante alias via prima salutis,
astrorum decus et tantae pietatis imago:
salve magna Parens, oranti et multa petenti
huc geminas nunc flecte acies mentemque benignam.
Ad Te confugio et supplex tua munera posco.
Alma, precor, miserere, potes namque omnia: **Amori**
te precor hanc animam serva Natoque Patrique.
Tuque Puerque Tuus, cui sidera parent,
hunc mihi da proprium, Virgo Maria: aspera iuro
malle pati, patiar quemvis durare laborem
sedibus ut saltem placidis in morte quiescam
victus amore tui»... **TOTUS TUUS**, Immaculata.
Sancte Pater, nobis, quaeso, benedicito cunctis.

PERICLES FELICI, Card.

3 Cf. A. Bendazzi, *Bizz. Letter.*, p. 67.